

CAPUT TERTIUM

*Quid sentiendum de Bonito Combasson,  
& ejus Libro, qui intitulatur: Vera, & Dilu-  
cida Explicatio &c. ? ubi & de citationibus  
Boverii non correcti.*

NUM. I. Cùm jam existimem, me, cum  
meis Recollectis, & Observantibus (quantum-  
cunque aliàs illorum Sodalitio indignus sim)  
sub habitu Minoritano incedere; ut cum M.  
Verino (cui potius ego displiceam, quàm meus  
habitus) ad alia ejusdem objecta, non sinè Mo-  
destia, & Veritate procedam: de citationibus  
nonnullorum Librorum, ac Locorum nunc est  
arbitrariâ Caputum conjunctione agendum. R.  
P. Hierotheus in sua *Epitome Historica*, Boni-  
tum Combasson, nedum persæpe contra me ci-  
taverat, sed & ità illum sibi familiarem fece-  
rat, ut inter triginta scriptores, ex quibus Epi-  
tomen suam se congestisse profiteretur, dicto Bo-  
nito secundum locum assignaverit. Me qui-  
dem etiam cum exili meo, ac innocente Dialogo  
(quia in multis ipsi consentiebam) intrà illum  
numerum collocabat: qui, etsi aliis Scripto-  
ribus, quos enumerat, non merear adnumerari,  
Libelli tamen Combassonici à S. Congregatione  
prohibiti Societatem meus iste *Dialogus* recu-  
bat. Cùm autem M. Verinus partes istius Libelli,

ejuſque Authoris in novo *Discursu Polemico*, per specialiter institutam *Quæſtionem* suam XVIII. pag. 170. iteratò assumat, & vix ad mea isti *Combassonio* opposita voluerit reflectere, aut monitionem (quam per speciales litteras, pro excitanda in novo contra me attentando opere, tam ad hoc, quàm ad plura alia puncta principaliora, diligenti reflectione, aliquando amicablem dederam) amicablem acceptare. Hinc antequam ad illa puncta procedamus; subjungo hîc præfatas meas litteras:

Num. 2. *Copia Litterarum ad R. P. Ignatium Bingenſem, Provincia Rhenana PP. Capucinarum Definitorum, & Guardianum Manheimenſem:*

„ Admodum Venerande in Christo Religioſiſſime Pater Definitor.

„ Cum Crisis Scholastica copulam non debeat  
 „ Scindere animorum, sic Diplomaticæ Fabulæ  
 „ Vestræ non labefactârunt ullatenus affectum,  
 „ quem erga expertam in propria persona humanitatem  
 „ Vestram jam tum conceperam. Modica Crisis per me  
 „ illis opposita, nec animum Vestrum debet deturbare:  
 „ quia querimus veritatem, in cuius indagine, sive  
 „ ab aliis corrigamur, sive nos ipsos reducamus in  
 „ viam: non est cur rubori, aut probro ducamus. Pro  
 „ mea sanè parte, ex  
 „ „ sincere

„ sineero non minùs , quàm fraterno affectu,  
 „ has ad Venerandam Admodum Paternitatem  
 „ Vestram ex eo dare decrevi , quod ex Vestro  
 „ rum his in partibus rumore satis circumstan-  
 „ tionaliter intellexerim , Reverentiam Vestram  
 „ jam tum incepisse contra meum Itinerarium  
 „ parare , opusculum per modum Epistolæ (ut  
 „ dicitur) ad octo circiter folia extendendæ , Si  
 „ ità sit , hanc suscipiat ab amico non spernen-  
 „ dam monitionem : Curet nimirum diligenter,  
 „ ut non tam refellendis modicis , quàm obvian-  
 „ dis principalioribus sese impendat , applicet-  
 „ que medelam , ubi graviora operis Hiero-  
 „ theani sunt vulnera : ne acta dicatur agere , &  
 „ agenda neglexisse . Si autem egisse aliquid , &  
 „ videri , & dici voluerit , ità Epistolam suam  
 „ instituat , ut

„ 1. mò Falsificet , aut saltèm fide exuat Viro-  
 „ rum in Alma Universitate Coloniensi clarissi-  
 „ morum , & conditione indifferentium Justis  
 „ defensionis testimonia , Itinerario meo publi-  
 „ cè præfixa .

„ 2. dò Probet , quòd R. P. Hierotheus Li-  
 „ bellum Boniti Combasson absolutè prohibi-  
 „ tum , non immeritò citaverit , sententias sibi  
 „ appropriaverit , Libellum approbaverit , lau-  
 „ daveritque , tam Virum Religiosum & doctum  
 „ Authorem , qui sub allegatis Characteribus  
 „ nominis & Ordinis nunquam fuit in rerum  
 „ natura ; unde me nôsti ?

„ 3<sup>to</sup> Non omittat sese in Epistola sua exten-  
 „ dere ad talem, tantamque olim separationis  
 „ Capucinorum à Corpore Observantino ne-  
 „ cessitatem, ut sese separare idem fuerit, ac  
 „ nomina sua vindicare ab interitu; vel qualiter  
 „ hoc ipsum fraternè intelligendum: qualiter-  
 „ que ad honorem Dei dirigenda isthæ gratia-  
 „ rum actio: nisi quia Dominus adjuvit me,  
 „ paulò minùs hab. tasset in inferno anima mea.  
 „ Actandem, quonam pacto, tam hìc, quàm  
 „ alibi, unà cum injuria Corporis Observantini  
 „ abstergeretur abusus textuum S. Scripturæ. Si  
 „ hæc viriliter perfecerit, pergat

„ 4<sup>to</sup> Justificare Historiam, vel historiolum,  
 „ de vera contingentia facti, quoad narratam à  
 „ R. P. Hierotheo agitationem Quæstionis de  
 „ Genuitate habitus S. Francisci, in Sacro Tri-  
 „ dentino Concilio, cum Observantini Gene-  
 „ ralis suorumque erubescencia. Valde enim  
 „ periculosum est, Sacro illi Concilio apponere  
 „ contingencias, præsertim futiles & otiosas,  
 „ quas, vel extremis solummodo auribus per-  
 „ cepimus, vel de manu ad manum mutuo  
 „ errore pertinacis fidei tenacitate tenemus.

„ 5<sup>to</sup> Magis fundatè probet, cum Corpore  
 „ Observantino (de particularibus personis non  
 „ est quæstio) esse dispensatum, nost. umque  
 „ Institutum patenter à Summis Pontificibus vo-  
 „ cari mitigatum; in nulò que tam hìc, quàm  
 „ alibi negligat ostendere, mea responsa, in-

„ t. i. p. r. e.

27 Interpretationes, defensionésque non subsistere.  
 28 Tandem, si hæc, & omnia alia debitè legi-  
 29 timaverit, in iisque singulis R. P. Hierotheum  
 30 Justificaverit, tunc poterit me arguere de  
 31 punctivis hinc inde expressionibus, nisi tamen  
 32 latius maluerit illas, cum sparsis per bonos  
 33 Libros Hierotheanos Verborum acrimonis in-  
 34 telligere compensatas. Ubi peculiariter pro  
 35 me stabit dictum Demosthenis: *Ignoscendum*  
 36 *est ei, qui voluit pro se ulcisci provocatus.* Quæ  
 37 provocatio in prudentiam iudicio multum  
 38 semper habuit ponderis. Si autem prædicta  
 39 singula non possit Justificare, neque aliunde  
 40 vocaverit illa, à R. P. Hierotheo asserta, re-  
 41 tractate, præstaret [salvo meliori] tentatam  
 42 Epistolam suam cohibere, planèque tacere,  
 43 ut ità saltem silentium suppleret vices debitæ  
 44 retractationis.

45 Hæc autem non tam timore Epistolæ vestræ  
 46 Vobis scribo, quàm amore pacis, quam pri-  
 47 mò infringere nefas est. In casu autem ite-  
 48 tandæ provocationis fortè non permitteret  
 49 mihi silentium: à me interim longius remo-  
 50 vebo ansam rixarum, appellaturusque ad  
 51 hæc Vobis fraternè datas præmonitiones, in  
 52 instituendo fortassis Itineratio Sabbathino,  
 53 non obliviscar punctorum, læsionumque  
 54 principalium, si forsitan calamus vester vo-  
 55 luerit illas intactas dissimulare; In his enim  
 56 potissimam versatur rei cardo, atque in his

33 situatam, fundatamque putamus nostræ par-  
 33 tis, tanquam primò læsæ Justiciam: futilia  
 33 namque, & minuta (quibus vix potest carere  
 33 Opusculum, præsertim Historico Criticum)  
 33 nonnisi minutam merentur reflexionem, nul-  
 33 lam refutationem, quam ego reverà etiam  
 33 non suscepissem, si R. P. Hierotheus meum  
 33 solummodo *Dialogum* (etsi RR. PP. Capucinis  
 33 in nullo contrarium) voluisset hinc inde cen-  
 33 surare, modò omisisset integrum nostrum Or-  
 33 dinem lædere.

33 Debet insuper scire, & in suprà dictis,  
 33 aliisque me refellendo reflectere, quòd per  
 33 durius loquentem R. P. Hierotheum, multum  
 33 fuerim ad durius respondendum privilegiatus.  
 33 Etsi quandoque extra personam ipsius, qui  
 33 particulariter offenderat, ad nonnullas rei, &  
 33 Historiæ circumstantias me extenderim, hoc  
 33 equidem non feci, nisi objectionibus nobis  
 33 factis manductus, qualiter in justissimis  
 33 etiam Apologeticis natum est contingere.

33 Quod autem attinet illud, in quo speciali-  
 33 ter Vestram personam, ratione impressarum  
 33 ejusdem tabularum, læsissem, admiror qui-  
 33 dem, sed non æquè capio: ut enim intellexi,  
 33 accusavit me coram Reverendissimo Commis-  
 33 sario Generali, petivitque mihi Judicialiter  
 33 injungi, ut coram ejus tribunali, & Vestra  
 33 Reverentia, propriâ subscriptione expone-  
 33 rem: quare, quâ ratione, & motivo in meo  
 33 Itine.

„ Itinerario Vos appellaverim Discipulum R. P.  
 „ Hierothei, Viri illius (ut addit) *Clarissimi*. Ad-  
 „ diditque etiam, se nihil aliud, quam hoc uni-  
 „ cum (sicque nihil) ab ipso petere. Quæ ob-  
 „ secro! in hoc injuria, si quis me diceret Viri  
 „ cujuscunque *Clarissimi* Discipulum? Venera-  
 „ bile Senium R. P. Hierothei me debuit meritò  
 „ impedire, ne Vos dicerem Collegam ejus,  
 „ quem in puncto saltèm propagationis, Sacri  
 „ Ordinis Capucini, studuit imitari, factus  
 „ proinde in suis *Tabulis* discipulus *imitationis*.  
 „ Fortè etiam tempore quaterni Provincialatùs  
 „ R. P. Hierothei fuit, aut esse potuit ejus Disci-  
 „ pulus *Correctionis*. Uno Verbo (ut breviter  
 „ ad hoc punctum respondendo me expediam)  
 „ ità Reverentiam vestram Discipulum esse R. P.  
 „ Hierothei, sicut hic est Boverii, constare  
 „ poterit illis, qui inter alia ipsum Melchisedech  
 „ P. Zachariæ Boverii, illamque R. P. Hiero-  
 „ theo assertam RR. PP. Capucinorum nimis  
 „ Spiritualem Genealogiam (ne quis Theogo-  
 „ niam dixerit) cum tabulata vestra sinè Patribus  
 „ respectu S. Francisci intermediis, Hierarchia  
 „ hyperbolica voluerit comparare. Adjecerim  
 „ hìc illud, quòd c. *Miserum* Dist. 61, dicitur:  
 „ *Miserum est eum Magistrum fieri, qui nun-  
 „ quam Discipulus fuit.*

„ Restabit forsitan pro meì accusatione (utì  
 „ ex Sparso Patrum vestrorum rumore intellexi)  
 „ adhuc unum: nimirum, quòd in meo Itine-

„ ratio citaverim, & cum R. P. Hierotheo com-  
 „ binaverim Boverium non correctum. Ast  
 „ hoc ipsum est, quod à proposito factum, me  
 „ nullo modo, R. P. Hierotheum autem vel  
 „ maximè gravat, utpote, qui ex hoc convin-  
 „ citur, correctos Boverii errores resuscitasse; in  
 „ quo Paternitas vestra Admodum Veneranda sal-  
 „ tèm quoad punctum immediatè prædictum  
 „ (casu quo & hoc correctione indignisset) non  
 „ obscurè constituit tertiam personam, sicque  
 „ potuisset, aut, si ità velit, fortè adhuc po-  
 „ terit cum utroque involvi.

„ Hæc sunt Admodum Venerande P. Defini-  
 „ tor, quæ ad novitiam Vestram, priusquam  
 „ Epistolare Opusculum suum absolverit, ex  
 „ fraterna, ut dixi, charitate deducere volui,  
 „ quæ, si conatum vestrum non impediunt,  
 „ efficere saltèm poterunt, ut tutiùs illud, quod  
 „ visuri sumus, in publico compareat; & ne  
 „ Paternitas sua Admodum Veneranda per prin-  
 „ cipalium agendorum neglectum Discipulus  
 „ fortè fiat illius, qui aliàs vester fieri non de-  
 „ dignatur. Interim, dum copiam harum,  
 „ pro instituendo forsitan Itinerario Sabbathino,  
 „ seu ultimatè completivo mihi reservo, sub de-  
 „ mississimo respectu, & ave cordiali ac frater-  
 „ no signor Andernaci 29. Januarii 1754.

*Admodum Veneranda Paternitatis Vestra  
 paratissimus Servus F. Joannes Ma-  
 tare mpp.*



Has litteras R. P. Hierotheum legisse, ex proprio ejus ore audivi, qualiter autem ejus M. Verinus, tam in hoc, quàm in aliis punctis minùs debite ad easdem reflexerit, in sequentibus apparebit. Ego interim

Num. 3. Dico, Libellum, cui titulus: *Vera, & dilucida Explicatio &c.* esse absolutè prohibitum, & ejus Authorem non fuisse Bonitum Combasson Conventualem, Doctorem sabaudum, adeoque Libellum esse supposititium. Prima pars patet legenti Indicem generalem Librorum prohibitorum sub Lit. B. *Bonitum*: sub lit. C. Combasson, & sub V. *Vera & dilucida &c.* neque additur Clausula: *donec corrigatur.* 3tia pars eruitur ex 2da, quæ proinde Probatur imò ex attestato, quod in Dialogo Contin. adduxeram, ubi videamus, an justis de causis M. Verinus illud rejiciat, fuit autem tale:

„ Ego F. Bonaventura à Theubis Veliternus  
 „ Ordinis Minorum S. Francisci Conventua-  
 „ lium, olim socius, & Assistens fidem facio,  
 „ me ab Admodum Reverendis Patribus Mi-  
 „ norum Provincialibus Coloniae, Argentinae,  
 „ & S. Bonaventurae, & à Patre Guardiano  
 „ Augustano hic in Capitulo Generali Congre-  
 „ gatis quaesivisse, an scirent, & cognoscerent  
 „ infra scriptos Patres in Libello: *Vera, &*  
 „ *dilucida Explicatio presentis status totius Sera-*  
 „ *phica Minorum Religionis*, per Bonitum Com-  
 „ basson Libelli Authorem, Hugonem à S. Qui-

„ no, Petrum Le Berger segusianum, Aegi-  
 „ dium à Balma, & Franciscum de Valle Au-  
 „ gusta ejusdem libelli Revisores: & eosdem  
 „ Patres Ministros. respondisse, ac testatos fu-  
 „ isse, nunquam prefatos Patres cognovisse,  
 „ in propriis Provinciis permanisse, nec eo-  
 „ rum nomina audivisse, & ob id suppositi-  
 „ tia nomina existimasse. In fidem datæ Romæ  
 „ die 17. Junii Anno 1653. F. Bonaventura,  
 „ qui suprâ imppria (L.S.)

Num. 4. Hoc attestatum M. Verinus rejicit tanquam illegitimum, imò: quia interrogatio testium, non ex ore personæ publicæ, sed ex ore alicujus olim *Assistentis* & *Socii*, neque tunc in officio constituti &c. 2dò Quia iste Bonaventura instrumentum publicum conficere assumens, non sabaudos (quorum utique unus, aut alter, vel in Capitulo Generali præsens erat, vel per Epistolam faciliter conveniri valebat) sed longiùs à sabaudia dissitos, nempe suevum, Alfatem, Agripinatem, & Lugdunensem testes adhibuit; Cùm tamen hi quatuor testes exteri, non nisi super impressione Libelli, in eorundem locis, seu Civitatibus facta; Sabaudi autem super præcipuo Controversiæ nostræ puncto, nimirum super prænominatorum Revisorum personis, nec non super persona Boniti Combasson legitimè attestari potuerint. Ità M. Verinus pag. 273. Illud autem, quod ibidem 2tio opponit, coincidit cum primo. Antequam  
 verò

verò ad hæc directè respondeam, rogatum velim M. Verinum, ut attestatum similis formæ Nobis adferat super asserto, suprâ Cap. 1. n. 2. Ventilato, scilicet, quòd Benedictus XIII. Capucinico primùm Ordini detulerit statuam Vaticanam, sui sub forma habitûs erigendam. nunc.

Num. 5. R. ad 1mum, Nos non versari hîc in judicialibus, sed circa simplicem quæstionem facti. Inò & in iudicio persona aliqua extra officium constituta, testari potest de tempore, quo ab ante in tali officio fuit. Adde, quòd fortè Ex-Assistentes Generales, itâ sub perpetua prærogativa sint, ut ad expediendos similes actus, satis qualificati censeantur, manent enim ad minus Notarii iurati Ordinis, ut extrâ dubium est.

R. Ad 2dum, Quòd rationabiliùs inquisitio facta fuerit apud quatuor Ministros Provinciales nominatos, quàm apud Sabaudos: tum, quia in Sabaudia talis libellus nunquam typis datus fuit, sed Mercurialiter alias rimas quæfivit; tum etiâ, quia prætensus Author illius, licèt origine Sabaudus inscribatur; libellum tamen suum in Sabaudia scriptum nullibi profitetur, inveniunturque non rarò Sabaudî in exteris Provinciis professi. Totum, quod dicere volo, exemplifico à simili: si E. G. M. Verinus suo *Discursui Polemico* se inscripisset Sabaudum (puto, quòd Confluentinus sit) vellet.

vellétque aliquis verum inquirere talis *Discursus* Authorem, sanè non Sabaudos interrogaret; sed rationabilius in loco impressionis, id est Luxemburgi, & Treviris se se informaret, ut Veritatem apprehenderet, verumque hominem sub ficto nomine cognosceret. Interim, licèt instrumentum F. Bonaventuræ à Theubis suâ per adductas rationes legitimitate non exuatur, alias equidem ipsi adhuc substituemus sat rationabiles probas; unde.

Num. 6. Probatur adò per Extractum authenticum de Anno 1653. ex aliquo Libro tunc noviter edito, prout hic sequitur, Tra-  
 „ Status defensionis D. Doctoris Nicolai Cata-  
 „ lani de S. Mauro, in quo informatur mun-  
 „ dus de Veritate antiquæ formæ Habitûs Fra-  
 „ trum Minorum, institutæ à S. Francisco;  
 „ datus prælo per R. P. Magistrum Julium An-  
 „ tonium Catalanum Ordinis Minorum Con-  
 „ ventualium: Dedicatus Eminentissimo, &  
 „ Rmo Dno D. Cardinali Petro Ludovico Ca-  
 „ rassa S. Congreg. Concilii Præfecto, & in  
 „ Bononia Ssmi Domini Innocentii X. Legato,  
 „ impressus Florentiæ apud Amadæum Massi  
 „ MDCLII. Prædictus igitur Author agens in  
 „ hoc Libro de Bonito Combasson, *Discursu*  
 „ 8. fol. 246. circa medium sic ait: citat ille  
 „ (*scilicet Boverius*) pro sua opinione Pisanum,  
 „ B. Angelum Chiarenum, Toffignanum, Jo-  
 „ annem Rausericum, Marcum de Lisbona,  
 „ Facco-

„ Faccorium, Waddingum, & ultimò unum  
 „ Bonitum Combasson Ordinis Minorum Con-  
 „ ventualium. Fateor, me non habuisse tem-  
 „ pus, nec commoditatem videndi omnes Au-  
 „ thores citatos, & in eis investigandi Veri-  
 „ tatem opinionis illorum; & quanquam de  
 „ hoc ultimo (videlicet Bonito) fecerim dili-  
 „ gentissimam, & exactissimam inquisitionem  
 „ cum nostris PP. Conventualibus, nullam  
 „ potui habere prorsus de eo notitiam (utique  
 „ hic studuit supplere defectum Bonaventurae Theu-  
 „ bis supra imputatum) hincque (pergit extra-  
 „ ctus) quaedam personae magni Nominis, &  
 „ Doctrinae praedictorum nostrorum Patrum,  
 „ cum observassem in Boverio, hunc librum  
 „ venisse primò in lucem Anno 1628. quando  
 „ Neapoli exorta fuerat lis de forma habitus  
 „ Franciscani, ratione cujusdam statuae S. An-  
 „ tonii à Padua, opinantur (à quo etiam ego  
 „ non devio) quòd, si verè liber ille sit edi-  
 „ tus, fuerit per quendam Capucinum nomi-  
 „ ne adulterino compositus, ut sic magis illam  
 „ litem, quae hoc anno agitabatur, colorare  
 „ possent, callidè adjungendo, praedictum  
 „ Authorem fuisse Ordinis Minorum Con-  
 „ ventualium. *Hec sunt verba Auctoris, qui pro-*  
 „ *sequendo suum discursum tertium, arguit saps*  
 „ *sapius, & in pluribus praedictum Bonitum Com-*  
 „ *basson erroris, falsitatis &c.*

*Ille praedicta haberi in dicto Italici idiomatis Li-*  
*bro,*

bro, consequenter recto in Latinum translata, attestor Roma 21. Junii 1653. F. Petrus de Hulleguard Ord. S. Francisci. Concordantiam cum suo transumpto attestor hâc 1mâ Maji 1755. F. Seraphinus Cremer Ord. ff. Min. S. Francisci Reol. Nationis Germano-Belgica p. 1. in Curia Romana Agens, mpp.

Num. 7. Hæc non adduco tanquam indubitabilia, cùm & ipse præfatus Author de suo tantum, & aliorum Judicio idem opinetur; deservit tamen contra hoc, per quod M. Verinus pag. 274. suum assertum probat, dicens:

„ utique ex hac Regula Juris: *In dubio melior*  
 „ *est conditio possidentis*, licebit tunc concludere,  
 „ libellum nostrum esse genuinum partum Minoritæ Conventualis: cò quòd per plures,  
 „ quàm centum annos perstet in crebrius publicata, & continuata, quin & confirmata possessione hujus tituli: *Vera, & dilucida Explicatio* . . . per R. P. F. Bonitum Combasson  
 „ *Minoritam Conventualem SS. Theologia Doctorem*. Imò (*pergis*) si Liber iste prohibitus  
 „ non esset, possent quoque legitimi natales ejus  
 „ ex hac: Viennæ in Austria per Joannem Jacobum Kürner, Statuum interioris Austriae  
 „ Typographum temporibus nostris (anno  
 „ 1710.) reimpressâ approbatione monstrari.  
 Hic exspectâssem, quòd novam approbationem afferret istius libelli tanquam correcti; Ast Verissem, de qua supra, & sub qua libellus prohibi-

hibitus est, immediatè subjungit: *Nos infra scripti Fratres Professores Ordine Fratrum Minorum Conventualium Theologi &c.* Hic testantur illi, quòd nihil contra fidem, vel bonos mores contineat, laudantque, & subjungunt: *In quorum fidem nomina nostra hic apposuimus. Datum Freyburgi 3. Februarii 1628. F. Hugo à S. Quirino, F. Petrus le Berger Segusianus Ex-Provincialis, F. Agydus de Balma, F. Franciscus de Valle Augusta.* Ubi fracta per contracta non refarciuntur, & ubique deest approbatio Ordinarii; sicut & permissio Superiorum, quæ ad præscriptum Regularum Tridentini, quando-cunque Religiosus librum publicat, præfixa requiritur, quamque circumspècta RR. PP. Conventualium cura non solet omittere: licet noster Modestus Verinus eam suo *Discursus Polemico* oblitus sit addere, vel impetrare; si tamen hic revera Religiosus, imò Religiosissimus Pater Hierotheus sit. Item pag. 271. M. Verinus querit: „ Quì contigerit, fierique potuerit, „ quòd Combassonii liber post primam ab- „ solutionem à Prælo, anno 1628. Friburgi in „ Helvetia factam, perpetuò, & absolutè, prout „ Continuator scribit, damnata Vulgationis, ac „ Lætionis notâ tam patenter inustus, tam liberè „ nihilominus, tamque frequenter, in iis etiam „ Catholicis Urbibus, in quibus Episcopi, & „ Nuntii Apostolici residere noscuntur, ut Co- „ loniæ Agrippinæ anno 1640. Augustæ Vin- „ delico.

„ delictorum , & Lugduni non nihil tardiùs,  
 „ ac demum anno 1710. Viennæ in Austria  
 „ *Juris publici* per tot reimpressiones evaserit ?  
 „ ad quod sciscitanti Criticæ hi, quorum inter-  
 „ est, noverint servire responso. „ Hucusque  
 M. Verinus.

Num. 8. Huic sciscitanti Criticæ ego proinde respondeo: imprimis per reimpressiones illas, saltèm ejus absolutam prohibitionem subsequentes, libellum non fuisse factum *Juris publici*, utpote qui jus comparendi, quòd in præcedentibus impressionibus usurpaverat, tali prohibitione amisit, simul cum spe restitutionis in integrum. Deinde possessio hujusmodi inscriptionis nominum, Authoris scilicet, & Revisorum, nunquam fuit pacifica, sed continuò à centum annis existit illi contradictum; ut patet tum ex attestato F. Bonaventuræ à Theubis, tum etiam per extractum supra relatum. Nec possessio illa (cùm titulum *Juris publici* amiserit, & in Scrinio Librorum prohibitorum teneatur latere) audeat esse publica, excepto, quòd in Generali Indice Librorum prohibitorum publicè nimis legatur expressa, suam, non nisi ibidem legitimam habens sedem. Neque ex hoc probatur Veritas prætensi Authoris: Nam Sacra Congregatio solet prohibere librum sub suo titulo, & cum expressione Authoris, quem præfert, absque eo, quòd in personam illius inquiret; nisi  
 forte



fortè ageretur de Hæresi, quod hîc non est; aut, si Liber fortè esset adscriptus, seu affectus alicui determinatæ personæ, aliàs in Ecclesia benè meritæ, quam proinde à tali inscriptione, tanquam ab injuria defenderet, ne fides talis Authoris pateretur, & sic verum utile per affectum inutile viciaretur. Ad idum, ubi M. Verinus quærit, qualiter Impressiones illæ contigerint, qualiterque evaserint, serviam responso per exhibitionem alicujus testimonii legalis & authentici. Antequam tamen illud offeram, ad priorem cumulum adduco illud, quod M. Verinus pag. 281. sibi ex meo Dialogo objicit, scilicet: *Cum fundamento dubitatur: an Author ille non fuerit aliquis* (hîc apponit per parenthesis: *proba Matarena Charitas Capucinum divinât*) *qui familiam suam siluit, & se peregrinum, id est Conventualem finxit; tum, ut longiùs iret, tum etiam ad facilitandum illud: Laudet te os alienum. Dial. Cont. pag. 25.* In hîsce M. Verinus parenthesisando divinât, me Capucinum divinâsse; Ego quidem de Capucino non sum locutus; si equidem M. Verino libeat dicere, quid ego talia scribens cogitavim, & simul tangere illud, quod suprâ nominatus Author Italicus apertè se sentire dixit, per me licet. Saltèm, si ad superiùs quæsitum Verinum divinâre vellem, quòd Typus Libelli Combasson per Capucinum fuisset promotus, non putarem, me fore supersticiosum, ob

attestatum Authenticum, quod hîc (quia legaliter authentica à me requiruntur) subijcio.

Num. 9. „ Notum sit omnibus, quorum interesse contigerit, quòd, cùm Libellum:  
 „ *Vera, & dilucida Explicatio presentis statûs*  
 „ *totius Seraphica Fratrum Minorum Religionis,*  
 „ intitulatum, sub nomine R. P. F. Bonicî  
 „ Combaffon Conventualis Authoris, à Constantino Münch Bibliopola Colonienfi, sine  
 „ censura Ordinarii, contra Sacri Tridentinî  
 „ Concilii sess. 4. decretum, hîc Colonia 1641.  
 „ impressum viderem, dictum Bibliopolam:  
 „ quâ autoritate Libellum impressisset, juxta  
 „ Officii mei obligationem interrogaverim, Responditque R. P. Carolum Arichot Capucinum illum imprimendum sibi commendâsse,  
 „ quem à Viro Religioso, de statu religioso  
 „ conscriptum, sine censura Ordinarii, imprimi posse putâsset. Hæc ità contigisse pro  
 „ testimonio Veritatis requisitus, sub mea manu, & sigilli signatura fateor, & testor  
 „ Colonia 22. Septembris 1656.

*Adrianus de Wallenburg Metrop. Eccl. Colon. Presbiter Canonicus, & Consor Librorum Ordinarius. mpp.*

*Concordantiam cum Originali testor die 1mâ Maji 1755. F. Seraphinus Cremer Ord. ff. Min. S. Francisci Recoll. Nationis Germano-Belgica p. 1. in Curia Romana Agens. mpp.*

En M. Verine! ità factum est Colonia, ità & fieri

fieri potuit in aliis Urbibus, quas enumeras, etiam non obstante DD. Nuntiorum Apostolicorum Residentiâ, unâ cum quantumcunque Vigilanti Ordinariorum Cura, quæ equidem mala, etiam multò majora, sæpè infecta non reddit.

Num. 10. Quantum ad impressionem Viennæ in Austria factam, me impendi, ut illam viderem; Responsum autem tuli, quòd Domini Kürner, jam multis annis mortui, Officina non sit amplius invenibilis: habemus equidem (referbat rescribens) exemplar impressionis ejus in nostra Bibliotheca, quod Vobis mittere non audeo, habeturque ut liber prohibitus: scimus etiam, neque esse correctum, neque emendatum &c. Datum erat Viennæ in Austria 20. Maji 1755. F. Saturninus Zirii. mpp.

Interim Austriaci nostri Reformati reimpressionem illam non procurârunt; quia Corpus Observantinum, cujus ipsi membra sunt, ejusdem postulavit prohibitionem; neque RR. PP. Conventuales, ut æstimo, reimprimi istum Libellum curârunt: quia jam à sæculo contra Authoris Inscriptionem (ut supra visum est) protestati sunt. Equidem certi aliquid defectu informationis hîc non adfero; undè & meritò careo applausu, de quo M. Verinus pag. 281. circa hoc punctum mihi non nihil sub conditione promittit, dicens: *Dic Sodes! sicut alias in 3. Quæstione nostra meris possibilibus, ità argumen-*

sans ex suspicionibus, utrobique reciproca referens, applausu laudificandus, si causas tuas ex possibilibus, & ex suspicionibus conglomeratis evolvens, eas posthac in realis existentia sinu, nec non in Veritatis majori claritudine conspiciendas nobis, approbandasque locaveris. Pulchra hæc, pulchræque promissa sunt, sed non potero ad ea, nisi quantum feci; feci equidem satis, & M. Verinus nihil.

Num. 11. Dicit quidem M. Verinus pag. 277. quòd editio Viennensis *permissu Superiorum* prodierit, feratque in fronte dilucidum testimonium, quòd nihil à fide dissonum, vel à bonis moribus alienum complectatur. Ad quod respondeo, testimonium illud erroneum esse quatuor supra memoratorum Revisorum, sub quo etiam ante prohibitionem prodit. Illud autem *permissu Superiorum*, est subrepticium: quia Sacra Congregatio libellum non usque ad correctionem suspendit, sed absolute prohibuit. Et supposito etiam, quòd solum prohibuisset; donec corrigatur, equidem Superiores reimpresionem non permisissent, nisi ad normam à Clemente VIII. præscriptam, qui (ut Indici Librorum prohibitorum præmittitur) de correctione Librorum §. 7. inquit: *In ejusdem quoque Libri principio tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat*; quòd, si editio Viennensis præferret, M. Verinus magis audacter de ea loqueretur, nec minus illud ad-

ferret. Unde ignoscat mihi M. Verinus, quòd recusem credere, Editionem Viennensem *permissum Superiorum* præferre.

Num. 12. Restat adhuc una probatio, per quam M. Verinus pag. 273. suum assertum roborat: quòd scilicet Sacra Congregatio in Demonstrationibus Boverianis, etiam expunxerit, & correxerit quædam alia, hæc tamen in Demonst.

4. N. 124. non expunxerit: *Bonitus Combassonius Ordinis Minorum Conventualium in tractatu, quem anno 1628. edidit sub hoc titulo: Vera, & dilucida Explicatio &c.* Et consequenter non videntur deviare à recto, & sano, qui dicunt, ipsum fuisse Authorem &c. 32. Negando consequ. quia, ut supra dixi, S. Congregatio circa talem Authoris inscriptionem, an vera sit, vel non, se ordinariè non occupat, tollitque solùm offendicula, à quocunque demum illa sint posita. Deinde per hoc, quòd S. Congregatio varia in Boverio jussit expungi, non censentur alia non expuncta positivè approbata, sed solùm non reprobanda, sicque non expuncta majorem per hoc auctoritatem non acquirunt, quàm de se habent: Unde tam hæc probatio, quàm alia supra eodem mihi sunt numero, scilicet nullo, Interim cordatus Lector Judicabit utrumque.

*Examinantur resolutiones Objectionum*  
*Discurs. Polem. Quest. XVIII.*

Num. 13. Agitur nunc de injuria, ac fama

nominis læsione, quamego, ut asseritur, præ-  
 cipite, ac libero meo Asserto R. P. Hierotheo  
 Confluentino intulisset; Videndum autem,  
 an non ipse libero ac præcipiti nimis calamo id-  
 ipsum, de quo Genius ejus conqueritur, sibi in-  
 tulerit; & an id satis absterferit M. Verinus, qui  
 pag. 276. sibi ex meo Dialogo Cont. objicit se-  
 quentia: *P. Hierotheus publicè, & in forma or-  
 dinaria, & consueta, contra S. Congregationis  
 sensum, approbavit Librum Boniti Combasson,  
 dum in sua Epitome pag. 365. dicit, ipsum nihil  
 contra fidem, aut Christianam Ethicam, id est,  
 contra bonos mores complecti, Dial. cont. pag. 20.*  
 Hoc me loco citato nedum scripsisse fateor, sed  
 & rationem addidi hanc: quia *S. Congregatio  
 nunquam solet prohibere Librum, nisi ad minus  
 aliquid contra bonos mores, seu Christianam Ethicam  
 contineat.* Ad hæc autem idem M. Verinus  
 reponit, „ A Continuatoris hæc objicientis me-  
 „ moria excidisse videtur, quòd non solum illa,  
 „ quæ vel repugnant fidei, vel fidelium mores  
 „ depravant; sed ea quoque soleant Romanâ  
 „ Censurâ perstringi, quæ in Libris ad popu-  
 „ lum vulgatis, vel erronea, vel errori proxima,  
 „ vel temeraria, vel piarum aurium offen-  
 „ siva, vel malesonantia, vel injuriosa compe-  
 „ tiuntur... Interim verò, si continuator pro-  
 „ baverit, Combassonium fuisse confixum pro-  
 „ pter fidei repugnantia, vel mores corruptum-  
 „ pentia dogmata; P. Hierotheus conclamabitur  
 „ reus,

reus, verumque erit, quod in forma ordina-  
 ria, & consueta contra sensum S. Congrega-  
 tionis approbaverit Combassonii Librum. At  
 verò, si id ab ipso probari non possit, prout  
 à nemine probari valebit, quid de tam præ-  
 cipite, ac libero ejus Asserto tenendum, ju-  
 dicet æquus Lector. Deinde pag. 290. dicit  
 mihi in aurem textum scripturæ Tob. 4. *Quod*  
*ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando*  
*alteri facias.* Et tandem Quæstionem Com-  
 bassonicam concludens ait: *Et hic Vindicia-*  
*rum, quas à M. Verino Epitome P. Hierothei*  
*pro reparando lesi sui Ordinis honore poscebat,*  
*fit finis.*

Num. 14. Imprimis nescio, qualiter hęc Sa-  
 cri Ordinis Capucini læsus honor subingredia-  
 tur, dum calamus solùm privatus, contra hono-  
 rem Ordinis Observantini in pluribus nimium  
 acutus contunditur. Deinde judicet æquus Le-  
 ctor, an non hæc sit forma ordinaria publicæ  
 approbationis Libri, si scribatur, *quod nihil con-*  
*tra fidem, vel Christianam Ethicam, seu bonos*  
*mores contineat*; si enim plus in approbatione  
 aliqua addatur in Laudem Libri, vel Authoris,  
 planè non de substantia approbationis, sed ei-  
 dem per accidens est. Hisce jam prænotatis, quæ-  
 ri posset ex M. Verino, an memoriæ ipsius exci-  
 derit, quod ea ipsa, quæ suprà enumeravit, *ma-*  
*lesonantia, injuriosa &c.* non sint ipso facto  
 contra Christianam Ethicam? pro quo ipsi in me-

morian revocandum, quòd, sicut contra fidem peccatur dupliciter: scilicet, vel docendo fidel contraria, vel in actu exercito declaratae fidei dissentiendo; ità & dupliciter contra Christianam Ethicam impingitur, vel malè doctrinando, vel in ipso actu exercito per scriptum publicum Statutas Christianæ Ethicæ Regulas transgrediendo; eximere autem Bonitum Combasson ab utroque, patenter libellum ejus est approbare. Hoc autem in Verbis Hierotheanis fit manifestè, utpote, in quibus simpliciter asseritur, ipsum nihil contra fidem, vel Christianam Ethicam habere, præscindendo à Doctrina fidei, vel morum: cum aliunde constet, libellum Boniti non proficere doctrinalia, sed historica, Capucinorum Congregationem extollentia, ac Observantinam odiosis Comparationibus contra æquitatem deprimentia; Sicque tantum poterat in actu exercito contra Christianam Ethicam peccare; quod & ipsum fecisse omnino tenendum est: quia, ut suprà ex *Dialogo Contin.* adduxi, S. Congregatio non solet prohibere Librum, nisi ad minus contra bonos mores hoc modo peccaverit.

Num. 15. Sanè M. Verine! (ut reciproce tibi etiam aliquid dicam in aurem) Ecclesia, quam S. Congregatio in hoc passu repræsentat, nequit spectare ad numerum illorum, qui possunt dicere bonum malum, & malum bonum; unde, si doctrinam malos mores inducentem infallibiliter judicat: an ipsos malos mores, tanquam

tales



tales in opere aliquo externo, seu scripto publico relucens nequeat pronuntiare? Quis non advertit, illum, qui in actu exercito morale vitium ponit, illud in actu signato, & veluti per doctrinam similitudinariam velle cohonestare, & tanquam non vitium proponere? an non æquè ad nociva pascua pertineat, ipsissima Vitia (puta injurias, calumnias &c.) tanquam scribi licita fidelibus ob oculos ponere, quàm doctrinando ad illa inducere? Si Sacerdotio veteris testamenti datum fuerit inter lepram, & lepram Corporis judicare: quis talem potestatem, quoad lepram moralem, seu Vitia, in dubium trahet in testamento gratiæ? an non huic Sacerdotio commissum est de medio tollere scandala, sicque & illa veluti doctrinæ Christianæ opposita agnoscere, & ad cautelam, ut talia pronuntiare? Profectò inter factum externum (idem est de publico scripto) bonum, & reprobum discernere, seu de con. & difformitate alicujus dicti, aut facti (saltem prout jacet) judicare, non tam ad puram quæstionem facti, quàm Juris simul pertinere videtur: nisi correlationem hujusmodi facti ad ipsum Jus volueris denegare. Aliud sanè mihi tenendum est de Jure, quo hinc inde disceptatur inter litigantes, quàm de Jure doctrinali, cui dicta, scripta, & facta Fidelium debent esse conformia.

Num. 16. Hanc differentiam inter doctrinam fidei, & morum, atque inter ipsa contra

mores peccata conqueritur M. Verinus memoriz meæ excidisse; ast ego ipsam jam tum observaveram in Regulis Sacro - Sancti Concilii Tridentini jussu editis, atque Indici Librorum prohibitorum præfixis, quarum ultima sic habet: *Quod, si quis Libros Hæreticorum, vel alicujus Authoris scripta, ob Hæresin (NB.) vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in Excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero Libros (E. G. Combassonii) alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.* Neque hoc mihi exciderat, quod injuriosa scripta, bonis moribus, & Christianæ disciplinæ censerentur contraria; lego enim in Instructione Clementis VIII. præfatis Tridentini Regulis adjecta, *de Correctione Librorum §. 2. sequentia: Item, quæ fame proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt, bonisque moribus, & disciplina Christiana sunt contraria, expungantur.* Ubi vides, mi M. Verine! quod ea ipsa, quæ in Libro Combassonico contineri concedis, saltem bonis moribus, & Christianæ Ethicæ, seu disciplinæ sint contraria: sicque, si in mea objectione, respectu R. P. Hierothei sit injuria, à me non procedit, qui ejus præcisa verba allegaveram, sed in ipsa ejus *Epitome* est fundata, atque per te satis debiliter absterfa: cum concedas

cedas quidem prohibitionem esse justam, sed non factam, quasi liber contra bonos mores aliquid contineret; quod implicatorium in hac materia est.

Num. 17. Dicit interim M. Verinus R. P. Hierotheum satis cautè in hoc processisse, dum Bonitum Combasson non planè absolverit, sed disertissimè dixerit, quòd Combassonicis verbis ad virum ipsum pungentibus, minis que dissimulante phrasi [ quasi verò dissimulatione indigerent ] *Observantes perstringat. Quae sanè Verba, quòd processum ultra medium, sive quendam in scribendo excessum, seu styli Inmoderationem significant, quòdque hanc Eptome Hierotheana non approbet, sed apertius carpat, capiunt, qui mox dictis subnexa equius, sive indifferentiùs ponderant, scilicet Observantes pròin contra Bonitum facellamandam putârunt; hac dicens etiam contumeliam nobis facis.*

Credo ipsemet mi M. Verine! quòd cum tuo R. P. Hierotheo non intendas S. Congregationis in hac parte iudicio te opponere; interrim, ne concedere debeas, Clientem tuum vel parum etiam errâsse ( quod equidem, modò pertinacia absit, humanum est, nec à me alienum profiteor ) duobus potiùs contradictoriis, quibus aliunde nonnihil assuetus es, te iterum involvis, sicque suprâ vires niteris, *eo quidem (ut Valerius Maximus inquit) cum majori commendatione, quod pròni studii certius indicium est,*  
suprà

suprà vires niti, quàm viribus exfacile uti, alter enim, quod potest, prastat, alter etiam plus, quàm potest. Ut autem contradictionem illam clariùs videas, nonnihil attende.

Num. 18. Hæc duo habemus intelligibilitet decidenda: *Libellus Boniti non habet aliquid contra Christianam Ethicam: & deinde illud: Idem Libellus continet injurias & contumelias Observantium*; Unum ergo, vel erit abrogandum, vel uni per aliud derogandum: derogationis autem, & abrogationis natura nobis explicatur, l. 102. ff. de Verb. signif. ubi dicitur: *derogatur Legi, cum pars detrabitur, sicut abrogatur, cum prorsus tollitur*. Si duo prædicta contradictoria sint, derogatio jam explicata non habet locum, sed unius per omnia requiritur totalis abrogatio: quia *Contradictoria* ex natura sua sese invicem prorsus tollunt, ac destruunt; neque cum ablatione solius partis (eò quòd Veritas indivisibilis sit) contenta sunt. Si autem, ut tibi suprà in aurem dixi, & probavi, injuriæ & contumeliæ reverà contra Christianam Ethicam sint: contradictio apparet manifestè in hoc; quòd Libellus non habeat aliqua contra Christianam Ethicam, & simul Libellus habeat aliqua contra Christianam Ethicam, scilicet illas, quas in Libello concedis injurias, & contumelias: Si proinde ultimum in reverentiam S. Congregationis teneatur, sicut omnino tenendum est,

est, alterum necesse est abrogetur, & destruat-  
tur.

Num. 19. Dicit M. Verinus, priori dicto  
per ultimum sufficienter derogari, seu unum per  
aliud restringi. Sed repono: quòd si R. P.  
Hierotheus illam derogationem intendisset,  
tunc debuisset ponere sic: *Libellus non habet  
aliquid contra fidem, vel Christianam Ethicam,  
excepto, quòd injurias & Consumelias continet  
&c.* tunc enim & alterum dictum pro parte  
staret, illique etiam pro parte fuisset deroga-  
tum: modò autem, postquam in *Epitome* dixe-  
rat, Libellum esse tantum suspensum, subjun-  
git: *Non quasi aliquid contra fidem, vel Chri-  
stianam Ethicam contineres; sed quia phrasi &c.*  
ut suprà. Ubi per particulam *sed*, quæ adver-  
sativa est, transitum denotat ad diversa, quæ ta-  
men, ut suprà visum est, diversa non sunt, sed  
in illis, quæ absolutè negàrat, contenta, sicque  
contradictio efficitur, quam voluntariè susti-  
net, quia ab una ejus parte recedere non vult,  
& ab alia non audet. Adduxerim hic illud,  
quod c. 17. de Accusation. dicitur: *Non pudeat  
vos, errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut  
aliorum corrigatis errores: nisi tamen præfatus  
P. Reverendus, non positus, sed primus, &  
primò se ultroneè ingessisset, ad corrigendos  
errores illius, cui equidem usque modò nul-  
lum adhuc satis efficaciter ostendit.*

Num. 20.

Num. 20. Imò verò noster M. Verinus ab illa alia parte satis videtur recedere, dum pag. 280. ità primam partem defendit, ut Combassonius ejus etiam nullatenus bonos mores laxissimè videatur: sibi enim ibidem ex meo *Dialogo Contin.* pag. 21. ità objicit: *Combassonius ex professo ità scripsit in laudem Capucinatorum, ut Observantes deprimeret; ubi per exemplificationem triumphat dicens: Summè nánque laudare Titium, Titioque Principatum optare, ut Sempronius inde minor aestimetur, nec fidei veritates oppugnat, nec directè aliorum mores corrumpit.* Ast hic interrogare vellem, quidnam juxta ipsum *directè* aliorum mores corrumpat? puto ego, si facta magis facientis, quàm verba docentis trahant, hæc non magis, quàm illa aliorum mores corrumpere; aliàs etiam liber obscenis expressionibus repletissimus (modò doctrinando non procederet) aliorum mores, saltem, ut ais, *directè* non inficeret, aut inficere natus esset. Vel an fortè hic à contumelia, quam suprà concessisti per ipsum Observantibus illatam, vis iterum recedere, Combassoniumque absolvere? sicut de plano absolvendus esset ille, qui in electione Principis pro Titio contra Sempronium staret, illiúsque laudando qualitates, ipsum ad Principatum eveheret, relicto Sempronio in qualitate subditi, sicque in aestimatione minori, ab ipsius laude abstrahendo; ubi comparatio de novo offendit.

Num. 21.

Num. 21. Callidè nimis , ac minùs verè me citat M. Verinus pag. 282. nam ego quidem in Dialog. Cont. pag. 178. dixeram : „ Nollem „ ego citare Quesnellum , etiam , ubi illius „ nonnulla veritas cum veritate mea coincide- „ ret : ubi seltèm foret abusus licentiæ legendi „ libros prohibitos , quæ non datur , nisi in „ ordine ad refutandum. Et quomodo is meo „ asserto auctoritatem tribueret , qui omnem „ amisit , juxta illud : *qui offendit in uno , factus „ est omnium reus.* „ Ubi quidem fateor , quòd ex præcedenti contextu , facta fuerit allusio ad Bonitum Combasson , toties , & tam familiariter à R. P. Hierotheo citatum , quam citationem volebam innuere , nec esse stringentem , nec satis honorificam ; attamen termini illi , quos M. Verinus ibidem meis verbis unà cum explicita comparatione adjicit , non sunt mea , scilicet : *ed quòd , ceu , perperuò , & absolute damnatus* omnem auctoritatem amisit , juxta illud : *qui offendit in uno &c.* Quin potius , dum in primo meo *Dialogo* , ex ipso Decreto S. Congregationis , quo plures libri , unà cum Annalibus Boverii prohibeantur , minùs consideratè exscripseram , Annalibusque Boverianis applicaveram , dicens : quòd fuerint *respectivè damnati , prohibiti , & suspensi* ( prout etiam Decretum , sub diverso tamen respectu ad diversos Libros , continebat ) non erubui , meum istum aliqualem errorem ad sufficientiam corrigere ,

in

in Continuatione *Dialogi* protestando, quòd per tò *Damnati* nil aliud voluerim, aut potuerim intelligere, nisi, quòd *Annales* illi fuerint *damnatae*, seu moraliter prohibitae lectionis. Unde libellum Boniti *Combasson*, de quo in continuato *Dialogo* in R. P. *Hierothei* gratiam egi, nunquam *damnatum* simpliciter nominavi. Non minùs injustè M. *Verinus* pag. seq. eandem meam objectionem repetens, & verba ejusdem tanquam mea propria virgulans, ad eundem equidem deteriorem sensum variat dicens: ità nec vellem citare *Combasson*, eò quòd ob suam *damnationem auctoritatem amiserit* &c. cum ego nihilominus à tali expressione cavens, non habeam, nisi ea, quæ ab initio hujus *Numeri* fideliter retuli: fingit itaque expressiones, cum quibus ad nudam apparentiam pugnet *Author* fictus.

Num. 22. Ad ipsam rem autem respondeo imò, Quòd textus ille: *qui offendit in uno, factus est omnium reus.* (Ut habent *Glossæ* in *Regulas Juris*, & *Theologi* passim) propriè habeat suam veritatem in materia, quæ ad fidem divinam, vel etiam humanam pertinet; ità, ut veracitatem, seu motivum credendi amittens in uno, factus sit omnium reus; hoc est, in nullo ipsi cum firmitate credatur; quòd quadrat in *Quesnello*, cui ego hoc dictum applicaveram; & fortè etiam in *Combassonio* historico nostro confixo; minimè autem sequitur  
(proùt



(proût M. Verinus contrâ me infert) quòd, qui in uno dogmate errâssêt (saltē seclusâ pertinaciâ) aut unum peccatum commisisset, omnium aliorum eo ipso habeatur reus. Unde Vulgare habet: *semel mendax, semper mendax*, hoc est quantum ad auctoritatem veracitatis in dicendo: amisit enim illud, quod me deberet trahere ad ipsi assentiendum.

Pro 2do **22.** Quòd possim quidem (proût obijcit M. Verinus) dicta allegare Quesnelli, Lutheri &c. sed non nisi, vel ad Adversarios ex suo fonte confundendos; vel aliâs averfativè, & refutando. Si autem [proût mea Crisis ferebat] id faciam prosequendo, taliûmque dicta approbando; etiam fortè vera; dubito, an id mihi honorificum sit, & an meo Adversario, qui tales Authores non curat (quia ad minus in numero sunt obscurorum Virorum) vim inferam alicujus argumenti, in auctoritate potissimùm fundati.

Num. 23. Ulterius: quæsieram ego in *Dialogo Contin.* pag. 19. Cùm S. Congregatio prohibitioni Boniti Combasson non addiderit clausulam: *donec corrigatur*, an id genus Officiû ad R. P. Hierotheum pertinuerit, itâ, ut illum dixerit, solùm suspensum, seu prohibitum, *donec corrigatur*? Ad quod M. Verinus pag. 278. reponit, quòd S. Congregatio etiam non prohibuerit illius correctionem: Unde licitum fuisse alteri talem clausulam addere, sicque &

K ipsum

ipsum dicere tantum suspensum; ubi Advocato Combassii quadraret forte illud S. Hieronymi ad Onosum: *Rideo Advocatum, qui Patrono eget.*

Ast! R. Ergo quemlibet Librum [vix enim reperitur, in quo non aliqua bona sunt] cuiuslibet licebit dicere solum suspensum: sicque S. Congregatio frustra notabilem hanc semper faceret prohibitionum tuarum differentiam, post enumeratos certos libros proscribendos dicens: *Quos Libros omnes suprascriptos S. Congregatio respectivè damnat, prohibet, ac suspendit;* ex quibus terminis potissimum innotescit, ad quam Classem sint redigendi. Quod autem M. Verinus loco citato addat: Quod, si Combassonius mea, veluti *Continuatoris placita pronuntiasset, forsitan in parvo magnus, in bodiernum usque diem in Iudiciis Matarenis audiret.* Nuda verba sunt: & forsitan de tali præconio pro meis Recollectis gloriarer, si in mundo alii non essent, qui rationabilia, & ab Ecclesia nedum tolerata, sed & stabilita Corporis Observantini placita enuntiarent; quibus etiam Inclyta Capucinatorum Familia, suppresso etiam illo Combassonio, aliunde non caret.


Num. 24. Ut finem huic Capiti imponamus, lubet unum adhuc hic adducere, quod R. P. Hierotheus adduxerat, & Mod. Verinus unà cum aliis Combassonii locis, ne oblivioni tradantur, repetit pag. 287. dicens: „ Libet  
„ ea

„ ea præfigere, quæ Bonitus Combasson Minor  
 „ Conventualis, Vir Religiosus, ac doctus,  
 „ (*unde me nôsti?*) in vera, & dilucida Explica-  
 „ tione Seraphicæ Religionis advertit, quòd  
 „ nimirum, etsi Capucinica Reformatio, sicut  
 „ annis, ità & mirabiliter accrevit in Alum-  
 „ nis; nihilominus diutiùs in pura, & inte-  
 „ gra Regulæ Minorum Observantia perseve-  
 „ raverit, quàm alia quævis, quæ fuit in Or-  
 „ dine Seraphico instituta: Nullam enim legi-  
 „ mus centesimum annum attigisse, quin passa  
 „ sit relaxationem, & minùs Observans eva-  
 „ serit: universa verò Capucinatorum Congre-  
 „ gatio, per totas, & singulas suas Provincias,  
 „ & Cœnobia duravit usque ad currentem an-  
 „ num 1628. per centum & tres annos in vera  
 „ Regulæ Observantia. Nec æstimo, quòd  
 „ Regula meliùs, & perfectiùs unquam fuerit  
 „ Observata à principio, quo condita est,  
 „ quàm hodie servatur apud illos &c.

Num. 25. Habeo in manibus fragmentum  
 libelli accusatorii Bonito Combasson in ordine  
 ad prohibitionem oppositi, mihi que in copia  
 ex Agentia nostra Romana communicati, in  
 quo inter Viginti septem gravamina, vix ali-  
 quod cum majori eaergia proponitur, quàm  
 idem iste passus jam immediatè ad ornatum  
 universi relatus. Nec immeritò, quia injurio-  
 sus apparet nedum Corpori Observantino, sed  
 & ipsis primævis S. Francisci Sociis, in quibus

utique primus Observantiæ fervor excelluit, sicut in primis Christianis Observantia legis Evangelicæ, quam vix ullius disciplina particularis Ecclesiæ, quantumcunque ad Evangelium reformatæ, judicat se adæquare. Et nunquid Comparatio hæc odiosa est Recollectis, aliisque in Corpore Observantino florentibus Reformationibus? quarum, si nulla fuerit centenaria, quin passâ sit relaxationem: quid modò in tertio renovati fervoris sæculo de ipsis erit dicendum? Laudem perseverantis Observantiæ Religiosissimis PP. Capucinis non negamus, aut negare possumus; sed quorsum Comparatio illa ad alios tanquam tepidos? Præter hoc punctum (quod M. Verinus inter alia hîc repetit, ut ostendat R. P. Hierotheum, non nisi vera, & charitativa ex suo Combassonio allegâsse) ego hîc possem adducere integram 27. punctorum Synopsis: quia tamen non scio, an authenticè sit ea ipsa, quæ S. Congregationi tunc temporis fuerat exhibita, & ne nauseam Lectori generem, prolixitati illi supersedeo: Agnoscatur interim cordatus Lector ex ungue Leonem. Salmem patet verum illud, quod dixeram: Combassonium ità RR. PP. Capucinos laudâsse, ut Observantes, Recollectosque deprimeret. Hoc quidem dictum meum M. Verinus oppugnat; sed per allegationem istius sententiæ Combassonicæ, à se in adjutorium vocatæ, ipsemet factus, quid in re sit, publico manifestat; quid  
autem

autem hominis fuerit Combassonius, relinquitur conjecturæ; quis promoverit typum libelli, vidimus supra N. 8.



## CAPUT QUARTUM

### De Citationibus Zachariæ Boverii tum Correcti, tum incorrecti.

Num. 1. Connexionem Caputum, quam Statueram aliàs arbitrariam, Modestus Verinus hîc mihi determinat, de Citationibus Boverii, post Tractatum de huic non dissentiente Bonito Combasson, assumendis; ingressum enim pro Combassonio stans, ipse subministrat pag. 283. me ità excipiens: „ Tenerrima Continuatoris  
„ conscientia, aliter circa Zachariam Boverium,  
„ & aliter circa Combassonium se gerit; Hunc  
„ Apostolicâ proscriptione, ac prohibitione con-  
„ fixum horret citare, etiamsi constaret, ipsum  
„ hinc inde sana, & Sancta Scripsisse: Econ-  
„ tra Boveriam non correctum, quem in suo  
„ Dialogo part. 3. N. 44. à S. Congregatione  
„ damnatum, & in Dialogo 2do damnata Le-  
„ ctionis proclamat; hunc inquam non corre-  
„ ctum Boverium sine scrupulo citat, & quidem  
„ satis frequenter: non, ut ipsum refutet, sed  
„ vel maximè, ut Epitomen Hierotheanam eò  
„ Sanctius pungat, probâque Charitate suggil-  
„ let, illique pretium, nescio quod in aliorum